



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**  
**Coloniae Agrippinae, 1657**

Decretvm XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

DECRETVM IX.

**I** Nutilis aut immoderatus tabaci usus, plures etiam Ecclesiasticos hactenus corripit, imo vero plerumque cum vitio ebrietatis conjunctus est, vix etiam à scandalo abest. Merito itaque, ut supervacaneum, periculosum & scandalosum, in Clericis vituperamus, ac ante Sacrum absolutè inhibemus, nisi fortè, Medicorum consilio, moderatus usus permittatur.

DECRETVM X.

**P** Ia & fidelis antiquitas non permittebat Clericis, de bonis suis, ab Ecclesia plerumque acquisitis, disponere, donec, indulgente paulatim observantià, aliud fieri coeptum est. Veruntamen, cum testandi licentià opus fuerit, eum in locum constitutiones executoris, testamentorumque approbationes & executiones introductæ sunt. Quare, uti moribus receptum est, nemo Clericorum testamentum condat, executoresve constituat, nisi de Officiali Nostri licentià & approbatione, in scriptis, sub sigillo Illustrissimi, obtenta; cui etiam, finita administratione, intra annum, rationes reddant, & se absolvi procurent. Nolumus tamen per hoc præjudicare Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Nostre, cui approbationes de consuetudine competunt. Executores tamen intra annum coram Officiali Nostro doceant, se debite administrationis absolutionem à Capitulo obtinuisse.

DECRETVM XI.

**M** Agna reperitur passim Cleri licentia, aut, quod pejus est, protervia, ut Prælati suis haud obediunt, sed nec illos reverentur, aut debitum eis honorem & obedientiam exhibeant. Nemo itaque sit qui imposterum, vel in minimo, Prælati suis aut Superioribus quibuscunque sine ratione ac modo contradicat, aut se opponat; sub pœna juris, hac in parte expressa; cum in eo vigor Ecclesiæ consistat.

DECRETVM XII.

**S** I quis in posterum Clericorum deprehendatur, concubinam suam recepisse, aut novam superinduxisse, ipso facto, sine ulla gratiâ, beneficii & dignitate sua privatus sit.

DECRETVM XIII.

**N** On serio satis agitur cura domus Dei; & à paucis admodum Clericis bonæ conversationis exemplum hucusque datum fuit. Quanto igitur hic inter acatholicos periculofiori & magis præcipiti sunt gradu,

tanto magis in vitâ & moribus, & in omni conversatione, se præbeant virtutum omnium exemplar; uti status, & prima eorum à majoribus facta institutio, toties ab acatholicis exprobrata, exposcit.

DECRETVM XIV.

**C** Irca sacrum Chrisma afferendum die Iovis sancto non mediocrem notavimus defectum. Itaque Pastores territorii hujus mittant viros probos, die Iovis sancto, satis tempestive ante prandium, qui id statim accipiant, & ad suas Parochias deferant. Accipient autem in Sacello, in ambitu Cathedralis Ecclesiæ, à Sacerdote, à Nobis ad hoc deputato. Extra territorium Nostrium, in partibus Embslandiæ, Decani, Primarius & Secundarius Embslandiæ, Cloppenburgerensis & Vechtenensis, mittant vascula trina, satis magna, ut pro toto Decanatu sufficiant, & ita quidem, ut, si per annum uno alterove in loco defuerint, ipsi de novo suppeditare possint. Proinde singuli Pastores, die Veneris sancto, mittant ad ipsos sua vascula implenda. Curabunt autem dicti Decani, ut per se vel suos Capellanos aut alios Presbyteros hanc distributionem peragant.

DECRETVM XV.

**C** Vm vacet Decanatus Furstenauensis per obitum piæ memoriæ Ioannis Ioannis, Pastoris Batbergenfis; in novum ibidem designamus Decanum, Reverendum Patrem Nicolaum Schaten, Societatis Iesu, Pastorem Batbergensem.

DECRETVM XVI.

**Q** Vandoquidem jam ante à Nobis designati fuerunt, in Iudices causarum Apostolicarum, Dominus Ioannes à Leeradt, Cathedralis Ecclesiæ Nostre Osnabrugensis Præpositus; Dominus Ioannes Wilhelmus à Winckelhausen, ejusdem Ecclesiæ Decanus; Dominus Ioannes à Bischopinck, Curie Nostre Episcopalis Osnabrugensis Officialis, & Canonicus ad sanctum Ioannem; Dominus Rabanus Heisterman, Collegiæ Ecclesiæ ad sanctum Ioannem Decanus; Dominus Bernardus Matthiæ à Campo, SS. Theologiæ Doctor; eosdem, pro hac vice, denuo confirmamus.

DECRETVM XVII.

**I** N Censorem librorum, etiam antehac designatum & approbatum, D. Ewaldum Marckium, SS. Theologiæ Licentiatum, denuo approbamus & confirmamus.